

2341

C O D I C E S

2342

dinis fratrum predicatorum salutem &c. Excellentie uestre recepti literas ex quibus et piam sollicitudinem &c. Domina haec Margarita est Comes Flandriae, quae Thomam, quomodo habendi sint Iudaei, consuluerat, unde Responsum hoc in Editionibus inscribitur: de Regimine Iudaeorum, et est in Edit. Rom. 1570. T. XX. Opusculum 21. f.

IX. fol. 48. Fratris Sybotonis ordinis predicatorum. Quid vero? Psalmus Miserere versiculatim expositus hoc initio: Septem sunt defectus impellentes hominem ad querendam misericordiam dei &c. ut jam hoc Vol. retuli. Vide Indicem.

X. fol. 109. Triga Sermonum: De VII. Donis Spiritus S. De Passione Domini. De Ejusdem Nativitate, quibus immorari operae pretium non fert.

XI. fol. 114. Tractatus minutissime exaratus de Virtutibus, primum in genere, dein de Theologicis, tum de Cardinalibus, demum de Donis s. Spiritus, Beatitudinibus evangelicis &c. Autor tacetur. Initium est: Virtus sine studio sui esse non potest. Bernh. Primum opus uirtutis est docere. Virtus cum humilitate uult doceri, cum labore queri, cum amore haberi &c. Opus non absimile Tractatui Guilielmi Alverni de eadem materia.

DCCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 631 XIV. Folior. 31. 4. min. fat nitide perscriptus, et rubricis distinctus complectitur, ut e calce praeoccupo, *Statuta prouincialis Concilij Moguntini per nos P. (etrum) dei gratia Sancte Moguntine Sedis Archiepiscopum presentibus nostris confratribus et suffraganeis celebrati. Anno Domini M^o. CCC^o. Decimo feria secunda post dominicam qua cantabatur Jubilate quibus nostrum Sigillum duximus appendendum.* Ex his verbis, quae nemo recitat, Exemplum istud ad *Αυτογεγραφον* aliquod descriptum fuisse videtur, quale non contigit editori Harzbemio, qui T. IV. *Concill. Germ.* p. 224. fatetur, se ad rursus publicanda haec *Statuta* non nisi impressis Exemplaribus usum fuisse. Norat ille tamen Codices *ms.* tres, et Editiones quinque. Unde mirari subit *Nic. Serarium*, qui L. V. *Rev. Mogunt.* c. 39. hujus Concilii vix paucula superesse censuit. Addamus nos etiam *Collectionis Concill. Labb.* editionem *Venetam*, cujus T. XIV. ad col. 1479. insertum est. Ordo porro Decretorum in nostro Codice in eo solum abit ab *Harzbemiano*, quod in *Libros* diuisa non sint, et Decretum contra *Beghardos et Beginas*, quod ibi p. 200. habetur, nobis fol. 17. p. 2. tribus sequentibus Decretis postpositum legatur, et aliquoties duo Decreta confluerint in unum, aut unum in duo sit tributum. Major

2343

S Y N O D I C I.

2344

jor est in lectione diversitas, cujus specimen si: In Prooemio: *vim haberent pro vim habuerint, additiones nostras juvando pro editiones nostras innovando, hoc tantum libello pro hoc tamen libello.* In Decreto I. *exquisitissimam pro exquisitam.* In Decreto II. *hujus sacri Concilii pro hujusmodi sacri Concilii, effectum gratie confert pro effectum confert.* In Decreto III. *inviolabiliter custodiri pro inviolabiliter observari, et honoris eorum; post presentem enim pro et honoris. Post praesentem &c.* quorum quaedam manifeste vulgari lectioni praeferenda sunt.

Ad horum Statutorum calcem ejusdem Sec. manu adscripta sunt Alia coacervata, quorum hic ingressus: *In nomine domini amen. Cum statuta sanctorum patrum et pia monita sint digne in omnibus memoriter retinenda et opere complenda, tamen in conuentibus synodalibus propter tepidos et minus in observantijs mandatorum feruentes sunt frequentius repetenda, ideo primo et principaliter monemus, et per excommunicationis sententiam diu latam mandamus, quatenus omnes a manifesta cohabitatione sibi caueant et infra XIV. dies domos suas a focarijs (Ancillis) expurgent et emundent.* &c. Ita deinceps de decenti Ecclesiarum habitu et Sacrorum celebratione, de vitandis Clero Tavernis et lusu, de Simonia, de accessu Synodorum &c. proposita etiam, quod displicet, multa mediae Marcae argenti, et unius

Fertonis (vide *Ducangii* Glosfar.) praecipitur. Emanasse e quadam Synodo, seu Capitulo Archidiaconali, et quidem in *Bohemia* haec Decreta e sequente conjicio: *Item cum merito matrem nostram ecclesiam pragensem imitari in officio diuino debeamus. Volumus et mandamus. ut de cetero Venite in domibus circa defunctum in vigilijs non cantetur.* Imo Archidiaconatus iste diserte indicatur deinceps in his: *Volumus — ut plebani sive rectores ecclesiarum archidiaconatus pragensis &c.* Certiora fortasse dedisset horum Statutorum exitus, sed imperfecta destituit Librarius destitutus ipse a membrana.

DCCCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3286 XIV. Folior. 64. 4. eleganter scriptus, rubricis distinctus, et prius *Monasterii*, ut praefert, *B. V. M. in Gärsten* O. S. B. quod in *Austria* super. fuit, exhibet Exemplar Statutorum Synodalium *Arnesti* Archiep. *Pragensis*. Impressa sunt haec Statuta primum in *Nova Plzna* 1476. quae Editio rarissima in Bibliotheca Univ. *Pragenae* visitur, tum a. 1606. *Pragae* curante celebri *G. Bartholdo Pontano a Braitenbach*, unde ea *Harzbemius* in T. IV. *Concill. Germ.* p. 381. repraesentavit addita lectionis varietate, ultra quam nihil in Textu nostro occurrere putem. Sed lapsus est in anno celebratae Synodi *Harzbemius*, qui